

1510 lio, seque cum exercitu confestim subsequuturum & brevi affuturum confirmavit. Donatus enim & reliqui legati duo certiore illum fecerant, omni a Gallis arte procurari, ut cum Julio fœdus ineant, avertendi eum a reipublicæ tuendis rebus causa. Imperatore interea moras omnes interponente, ut quod primum atque maximum Paulo promiserat, se ad eum celeriter venturum, id non ambigue differret, ac nulli omnino usui Julio aut reipublicæ velle esse videretur statuisse, Patres de eo admoniti consulto Senatu Franciscum Capellum ejus familiarem ac necessarium, qui erat in Senatu, illa ipsa hora contendere ad imperatorem jusserunt, monereque illum ne ulterius expectare se se tam opportuno atque etiam tam necessario reipublicæ tempore patiatur: publicam omnium salutem in eo positam, ipse se ad exercitum statim si conferet, munusque obierit, ac fidem præstiterit suam. Franciscus nondum dimisso Senatu apertis sibi uni foribus Mantuam est profectus.

Dum hæc administrantur, Galli castella quædam in Alfonsi finibus ab Julianis capta acriter aggressi recipiunt: incursionibusque in Bononiensem agrum atque usque ad oppidum factis magnum timorem Julio incutiunt, ut jam, quid se præstet facere, plane non dispiciat. Augebat eum timorem, quod Bentivoli Gallis adjuncti, Bononiensium civium factionem excitatum iri haud ambigue putabantur; ut & ad portas, & ipso in oppido Julius hostes uno tempore esse habiturus videretur. qui quidem quoniam febribus aliquot jam dies tentabatur, nullam prope legatis Venetis se adeundi facultatem dabant: tametsi etiam a Francisco Alidosio Cardinali, qui Julii nomine civitatem regebat, & Gallis maximopere favebat, studium per cubicularios adhibebatur, ne alloqui illum possent. Ponte confecto, & parato ad trajiciendum exercitu, Maurus classis præfectus, cum eodem Padi alveo, quo venerat, redditum sibi ab Alfonso tormentis in ripa fluminis non uno in loco collocatis aut omnino interclusum, aut plurimis maximisque periculis propositum videret; superato reli-